



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Henricus Imp. 14. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. HENRICUS IMP. 14. Iulii.

GEmmam Romanæ Coronæ unicam hîc exhibeo HENRICVM. genuère Bojorum Duces, D. VVolfgangus educavit. Quid ni ab his bonum Imperatorem speres? Certè Imperium à se ipso auspiciatus Virgo idemque conjux in triumphum Cupidinem duxit. Hoc subactò, facilè alios Imperii hostes omnes fudit, tum præsertim, cum Æther illi militavit, & aciem, cui votum ante pugnam fecerat, D. Laurentius & cujus gladio accinctus erat, Adrianus, tum Georgius Angelusque præiverunt. Sed ô lepidam fortunæ faciem! Tantus belli Imperator ecce à pueris vincitur. Obsidebat Trojam Apuliæ urbem, juratus nec imbelli ætati parcere. Cives sive armati, sive supplices in urbem repulsi. Ad triarios nempe res rediit. Erumpit ergo apertâ portâ puerile totius urbis agmen: signum Crux præit; barritus unus omnium, idem Kyrie eleison auditur. quid multis? primâ pugnâ HENRICVS capitur, & urbs libertate potitur. Adhuc gravior ille conflictus fuit, quem mortuus cum acie infernâ habuisse, Dæmonis, qui rem in suis oculis gestam narravit, fide creditur. Is enim viro Religioso exposuit, nutasse illic cum lance HENRICI causam, donec iterum suppetias ferens Laurentius, calicem sibi donatum pro clypeo objiciens, rem restituit. Id nisi more suo Dæmon confinxit, præfidentem esse oportet, cui cor non palpitat. Ex DD. Bamberg. Jac. Gretseri.

Convertatur amor tuus, ut nihil diligas nisi DEVM ipsum, aut cerè propter ipsum: convertatur etiam ad ipsum timor tuus; quia perverjus est timor omnis, quo metuis

14. Iulii. VITÆ SANCTORVM. 347
*metuis aliquid præter eum, aut non propter eum: sic &
gaudium & tristitia convertantur ad ipsum: hoc fiet, si
non nisi secundū eum doleas, aut lateris. S. Bern. de Jej.*

S. BONAVENTURA EP. 14. Iulii.

CONTRÀ quàm hodie fieri amat, BONAVENTURAM mater ultrò Deo & D. Francisco devovit. Apud hunc pietatem doctrinæ ita junxit, ut dubiam altera alteri palmam faceret. Magnum testimonium Alexander de Ales est, non peccasse Adamum in BONAVENTURA. Ipse D. Thomas miratus raram in viro doctrinam, bibliothecam suam ut monstraret, rogavit: ille digitum in Crucifixum intendit. Tantus ad purpuram tamen plus ipsâ purpurâ erubuit. quin quod aliquoties indignum se putavit, qui sacro Epulo accumberet? Sed dignum esse Angeli monstrarunt, cum felicem sportulam ad os BONAVENTURÆ ultrò portarunt. Moriturus cum vomitu laboraret, lateri Cibum Divinum iussit admoveri, & ecce inde ad ipsum Cor se Eucharistia penetravit. Quid jam miramur hoc (uti & caput) multis annis a morte integrum ab omni tæbe repertum esse? Porro, dum vixit VIRGINIS unice studiosus fuit. Itaque auctorem eum Sodalitatum inter Laicos, quos vocant, faciunt. Certè in D. Lucam ideò libentius lucubrationes scripsit, quòd is de VIRGINE plura suggereret. Pulsam quoque æris campani, quo exciti sub noctem venerabunditer MARIAM salutamus, BONAVENTURA instituit, rectè, cum humanas linguas laudibus VIRGINIS succumbere videret, in auxilium vocans ferrea ora & ferreas linguas. *Ex vitâ & Thom. Bozio.*

Non sic timent hostes visibiles castrorum aciem, sicut